ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Oratiunculam istam, quam tibi periisse scribis, Amplissime
Hugeni, iterum mitto. Addidi et versus, sed à me castigatos.
Puto enim me observasse ~~particula~~ ea, quae minus ad Aulae
palatum futura iudicas. Quanquam in istiusmodi carminis
genere venia danda sit poetae, sexui, et qui non et non
festivius subinde loqui, addo et impotentius, Amori. Neque
scripsi illa, ut lucem videant, sed ut inter paucissimos et
intimae admissionis amicos pereant. Si quid putes reliqui
adhuc esse in isto carmine, quod aulicorum gravitati minus
conveniat, quaeso in margine tantum asterisco nota, et
ubi commodum, remitte. Scrupulum adhuc mihi movet illud:

Non Batavus tanti, totaque Sylva mihi est.

Sed quid ni ita loquatur uxor, cui vel tota Brabantia
carior est viri salus. Censuram vero tuam tantum
abest, ut aegre feram, ut hac nota verè ~~te~~ me et sine
fuco amari à te cognoscam. Vitij aut erroris in amico dissi-
mulatio amicitiae repugnat maxime. Dolet enim veritatem,
sine qua nomen amicitiae valere non potest. Vale
vir praestantissime, et me ama. Lugd. Bat.
~~ipso~~ ~~Cal.~~ prid. Cal. Sextil. CIƆIƆCXXXIX.

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/459

Barlaeo

1. Aug. 39.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 35
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/459